DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

QUIBUSDAM FEBRIS EPIDEMICÆ VARIETATIBUS,

QUÆ ANNIS 1817-18-19 EBLANÆ GRASSATA EST.

AUCTORE JOANNE CRAWFORD.

Occasionibus plurimis febris epidemicæ, quæ Eblanæ annis 1817, 18, 19, sævit, mihi officio scriniarii clinici apud Nosocomia Domus Industriæ fungenti præbitis, de hac pro argumento dissertationis meæ inauguralis disserere vellem. Rebus studio hujus epidemici magnopere faventibus, de his pauca proferam.

Tempore quo febris Eblanæ adoriri cœpit, (nimirum, mense Septembris 1817,) Nosocomium Hardwicke, solum, ægros nonaginta recipiendi ca-

pax, apud Domum Industriæ, consilio laborantes febri accipiendi, tributum fuit; et simul cum Nosocomio in vico de Cork sito, ad affectos illa febre, quæ inter plebem Eblanæ semper grassatur, recipiendos hactenus fuit accommodatum. Sed pluribus ut hæc sibi pateant celeriter petentibus, mense Septembris, Nosocomium Chronicum Whitworth (nonaginta lectos complectens) febre laborantibus dicatum fuit. Hoc tamen non satis capace reperto, *Penitentiarum* Generale Richmond dictum, ad convictos criminum recipiendum nuper conditum, ab illis qui rebus publicis præfuerunt, causa hujus morbi contagiosi instructum fuit. Hæc ædes sexcentis ægris accommodata, ægrotis paulatim conferta fuit; et pro Nosocomio Febrili usque ad epidemicum, mense Martii 1819, cedentem, occupata fuit. Per spatium, igitur, duodecim mensium, fere ægri sexcenti in Nosocomia hujus *Institutionis*, febre laborantes, quotidie adfuerunt; facultate observandi summa sic præbita.

Ut tales occasiones, quales nunquam forent, mihi prodessent, annotationes singulorum affectuum exaravi; mitibus leniter tractatis, et attentione summa illis, qui ob sævitiam, vel naturam complexam, magis interesse viderentur, adhibita. His-

toriam igitur octingentorum vel nongentorum exemplorum febris sic collegi.

Febri continuæ operam dantibus consilium sit vel varietates sese per annum offerentes, et singulis temporibus peculiares visas, investigare, historiam ejus sic tradentibus; vel aliter mutationes quas febris ob actionem omnium causarum, et præcipue ætatis, constitutionis, habitus, conditionis prioris morbidæ subit, observare, easque pro signis similitudinis, quantum ad pathologiam spectat, ordinare.

Origine et progressu epidemicæ in quibusdam opusculis * plene et acriter traditis, modum posteriorem rem tractandi auscultavi. Materias numerosas quas collegi, in formam tabulæ primum ordinavi, conspectum exhibentis quarundam rerum insignium huic febri pertinentium; ut rationis relativæ qua viscera diversa laborarunt, frequentiæ recidivarum, variationum febris in tempestatibus diversis, rationis interituum, modi criseos, signorum cadaveribus inspectis visorum, rerumque cæterarum; et exitum hujus investigationis primum tractabo. Compendium vel potius analysin talium exemplorum febris, qualia ob modificationes pro

* Vide Reports on this Epidemic by Drs Cheyne, Barker, Crampton, Stoker and O'Brien.

constitutione, morbo organico priori et cæteris, quæ curationem difficiliorem, vel eventum dubium reddiderunt, aliquid momenti præbuerunt, perfeci. Secundo igitur quasdam ex his insignioribus febris varietatibus describam.

Primo.

In exemplis octingentis et sexaginta febris, viscera diversa corporis, ratione sequente affecta fuerunt.

Cerebrum præcipue, in tribus fere ex quatuor ægrotis, ut ex cephalalgia, vertigine, delirio, stupore, &c. patuit, laborare visum est.

Viscera thoracis in uno ex tribus, ut variis gradibus, tussis, dyspnœæ, doloris, &c.

Viscera abdominis in tribus ex septem ægris, et in novem horum ex decem, regio epigastrica dolorifica, tensa vel tenera pressu admoto. Alii affectus abdominis dolor fuerunt, vel sensus acutus in hypochondriis, vel in tota superficie abdominis, plenitudo, tympanites, diarrhœa, dysenteria, &c.

Dolores generales signum fuerunt solitissimum in parte tertia exemplorum.

Absentia doloris vel morbi localis in uno ex duodecim casibus febrem insignivit.

In multis exemplis plurima viscera simul correpta fuerunt; hi morbi complexi viscerum in ratione sequente extiterunt: solitissimus fuit affectus simultaneus capitis et ventriculi; in quinta parte affectuum observabatur. Proximus fuit capitis et thoracis, et capitis, thoracis et abdominis, his in nona parte exemplorum observatis. Sæpe tamen accidit, unum, tantum, organum morbo laborasse.

Recidivæ in uno ex duodecim ægrotis occurrerunt; interitus in ratione unius ad viginti et dimidium; in quinque horum, ægri sensus fuerant expertes, cum in Nosocomium admissi fuerunt, et circiter horas viginti et quatuor postea mortui sunt; tres morbo chronico cordis correpti fuerunt; his deductis, interitus ratione unius in viginti et quinque extiterunt.

Exempla febris cum signis typhi, ut a CULLENO traditis, haud rara erant; quippe quæ in ratione unius ad undecim observata fuerunt, et dimidia pars harum signa typhi gravioris exhibuit.

In exemplis centum viginti et duobus, ratio et tempus criseos et eruptio petechiarum imprimis notatæ fuerunt. Febris per crisin bene notatam, in septuaginta et sex finita fuit: in reliquis, febris, sine ullo conatu critico apparente, paulatim de-

siit. In septuaginta et duobus ex his, crisis per sudorem, et in quatuor alteris per urinam fuit. Urinam tamen quam maxime perpetuo inspiciendi non fuit facultas. Cum crisis per sudorem facta fuit, febris per unam sudationem valde profusam, perturbatione critica et rigoribus prægressis, vel prorsus se remisit, vel post sudores lenes, per quasdam noctes seriatim adorientes, paulatim lenior fiebat. Crisis quoque per expectorationem liberam, vel dejectiones copiosas, fluxum auctum salivæ, vel epistaxin accidit. Omnia symptomata adeo gravissima interdum prægressa sunt, ut æger moribundus haberetur. Dies critici fuerunt quintus, septimus, undecimus, decimus tertius, decimus quintus, decimus septimus, vigesimus, et vigesimus tertius.

Petechiæ in triginta et quatuor ex exemplis supradictis, vel fere quarta parte, observatæ fuerunt. In viginti et uno petechiæ colore profunde rubro, in novem floridæ, et in quatuor maculæ purpureæ adfuerunt. Petechiæ cum affectibus acribus et pertinacibus capitis frequentissime conjunctæ, et proxime cum viribus magnopere prostratis sine affectu locali, et cum affectu gravi ventriculi prodierunt. Hæ tamen conspectæ non semper periculum minitarunt. Petechiæ floridæ in primo sta-

dio febrium mitium sæpe apparuerunt; cum stadio provecto febris visæ sunt, et colore fusco, plus periculi sæpe denotarunt, igitur in primarias et secundarias divisæ sunt. Papulæ rubræ et efflorescentiæ furfuraceæ sæpe in conspectum venerunt; et, febre finita, scabies molestissima haud raro prodiit.

Prima tabularum sequentium conspectum præbet rationum quibus viscera per febrem laborarunt, et mutationum quæ per decursum anni evenerunt: secunda modus est quem usurpavi ad adipiscendum conspectum generalem omnium casuum quas collegi.

Affectus capitis per decursum anni, quod ad frequentiam, quodammodo variasse videntur. Autumno et mensibus Octobris et Aprilis potius numerosiores fuerunt.

Affectus thoracis in primis et ultimis quadrantibus anni sæpissime adorti sunt; in ratione fuerunt quinque ad tredecim. In vere et æstate maxime decreverunt, in hac ratione tantum, trium ad viginti et duos, occurrentes.

Viscera abdominis fere eadem ratione in singulis tempestatibus affecta fuerunt; per æstatem et autumnum ratio potius major fuit.

Dolores generales per autumnum præcipue sæ-

viebant, quippe qui hoc tempore, fere dimidia parte numerosiores, quam ullo alio, nimirum ratione duorum ad quinque, extiterunt.

Exempla febris sine aliquo dolore vel affectu locali, longe frequentissima æstate, mensibus Junii et Augusti, erant; affectus locales ratione duplice in hieme et autumno adoriebantur.

Febres frequentissime cum typo typhoideo in autumno et hieme, ratione observatæ fuerunt duorum ad sexdecim; in vere minus, et in æstate minime numerosæ.

Recidivæ per æstatem et autumnum frequentissimæ; per hiemem rariores, et per ver rarissimæ.

E casibus septingentis septuaginta et septem, febris hedbomada prima in fere tertia parte, desiit; per decursum hebdomadæ secundæ, in dimidia parte; et ad hebdomadam tertiam in quinta parte et amplius protracta fuit. Dies quibus remissio frequentissime fiebat, fuerunt septimus, quintus, undecimus, decimus tertius, quintus decimus et vigesimus primus.

In uno ægro, die primo, febris lethalis evasit. Febris in paucis usque ad hebdomadam quartam protracta fuit; in exemplis sex usque ad diem quadragesimum, quadragesimum secundum, qua-

TABULA, exhibens Rationem qua viscera in Febre affecta fuerunt, Recidivarum, &c. et Mutationum quæ in his rebus per decursum anni fiebant.

Menses.	Numerus Ægrorum.	Caput.	Thorax.	Abdomen.	Dolores Generales.	Febris sine dolore vel morbo locali.	Recidiva.	Typhus.
Januarius,	106	77	43	31	22	5	8	13
Februarius,	84	51	38	43	16	7	4	8
Mars,	80	49	21	34	18	6	8	6
	270	177	102	108	56	18	20	27
Aprilis,	55	47	15	26	15	2	4	6
Maia,	67	39	18	29	18	3	3	4
Junius,	66	43	13	32	15	13	4	1
	188	129	46	87	48	18	11	11
Julius,	61	38	6	33	15	3	9	2
Augustus,	29	14	4	6	6	10	1	
Septembris,	55	36	9	26	14	6	6	4
	145	88	19	65	35	19	16	6
October,	97	83	44	47	34	7	8	19
November,	102	83	43	37	46	4	9	10
December,	62	42	26	23	23	4	7	5
	261	208	113	107	103	15	24	34
	864	602	280	367	242	70	71	78

TABULA SECUNDA, exhibens Conspectum Generalem Casuum.

Menses.	Die morbi quo admissi.	Nomen.	Ætas.	Duratio morbi.	Mortui sunt.	Caput.	Thorax.	Abdomen.	Dolores generales.	Recidivæ	Observationes.	Missio Sanguinis.
Apr. 29.	7	Sutton, Maria	20	8		Caput			Dol. gen.		Febris et epilepsia.	
Dec. 17.	6	Woods, Joan.	37	19		Caput					Typhus gravior.	Hirudines.
Feb. 16.	3	Farlan, Joan.	30	60			Thor.	Hypoch.		Rec.	Inflammatio gravis hepatis et pulmonum. Icterus.	v. s. sexies.
21.	1	Doyle, Jacobus	20	3				Epig.		Rec.	Impetus levis.	
Maia 26.	5	Guinan, Gul.	20	8		Caput	Thor.	Epig.		Rec.	Epigastrium maxime sensibile.	v. s.
Jan. 1.	4	Caffray, Patrick	23	7	Mort.	Caput	Thor.				Febris cum pneumonia acuta.	v. s. quater.
2.	8	Bateman, Joan.	60	40	Mort.	Caput	Thor.				Peripneumonia notha. Cor morbosum.	v. s.
Martis 6.	6	Mulvany, Gul.	25	7		Caput					Delirium ferox, pulsus admodum tardus.	Hirud.
	4	Carny, Joan.	50	9	Mort.	Caput					Typhus gravior.	Hirud.
Apr. 21.	4	Flood, Carolus	26	8					Dol. gen.		Febris et dolores rheumatici graves.	
Junii 28.	5	Lynon, Patrick	35	9					Dol. gen.		Dolor vehemens dorsi hirudinibus levatus.	Hirud.
Julii 7.	9	Byrn, Matth.	50	22							Typhus gravior, debilitas summa, constitutio confecta.	
Nov. 11.	5	Fallon, Andr.	25	15			Thor.	Epig.			Febris et affectio pulmonum gravis.	v. s. ter.
20.	4	Kinsala, Maria	13	25		Caput	Thor.	Epig.	Dol. gen.		Typhus gravior, delirium, stupor, vomitus, petechiæ.	
21.	4	Carrol, Daniel	33	7		Caput		Epig.			Sudor 7mo die, ventriculus multum affectus.	
22.	8	Thomson, Mar.	19	23		Caput	Thor.	Epig.	Dol. gen.		Typhus, caput, thorax, et ventriculus multum affecta, petechiæ amplæ, sudores critici die 23°.	
		16 ægri.			3	10	7	7	5	3	5 casus typhi.	5 v. s. 4 hirud.

dragesimum sextum et sexagesimum, haud immutata perstitit.

Haud raro accidit quod febris decursum ejus, modo remittente, persolvit; adeo ut æger per paucos dies se bene habere videretur, quibus elapsis, febris rediit. Remissio die septimo nonnunquam observata fuit, et æger febre immunis usque ad diem duodecimum vel decimum et tertium perstitit; tunc iterum affici cœpit, et febris non donec die decimo septimo vel vigesimo primo cessit.

Sectio Cadaverum.—Historia quæ sequitur signorum morbidorum quæ in cadaveribus febricitantium prodierunt, ab exemplis quinquaginta, quibus cadavera inspecta fuerunt, colligitur.

In quadraginta et quinque ex quinquaginta exemplis, caput morbosum fuit; in uno caput non incisum, et in quatuor aliis cerebrum sanum repertum fuit. Signa morbida in capite visa sequuntur.

In octodecim ex his quadraginta et quinque, pia mater et plexus choroïdes præter solitum vasculosa reperta fuerunt, vasis parvis accuratissime injectis; venæ et sinus turgidi, et totum genus vasculosum cerebri præter naturam sanguine im-

pletum; aliquando vasculositas summa observata fuit.

In decem alteris, vel inflammatio, vel densitas piæ matris, vel sanguinis effusio, vel utraque simul adfuit; in duobus ex his coagula ingentia fuerunt sanguinis in substantiam cerebri effusa; in alteris maculæ leves effusionis sanguineæ in superficie visæ fuerunt. Haud alienum sit hic observare, siquando cranium malleo patefactum sit, maculas floridas in superficie cerebri in linea conveniente ad fracturam ossium saepe conspectas esse, quæ pro affectibus morbi non habendæ sunt, quippe quæ, malleo concutiente, tantum inducuntur.

In septemdecim exemplis reliquis, vasa nec præter solitum conspicua, nec turgida detecta fuerunt: et in quatuor horum plexus choroïdes et tota substantia cerebri præter naturam fuerunt pallida.

Fluidum serosum vel in saccum tunicæ arachnoïdeæ, vel sub membranam et inter convolutiones cerebri, vel in ventriculos, in exemplis quadraginta et tribus ex quadraginta et quinque effusum fuit; in quibusdam horum magna copia fluidi reperta erat, et plurimum ejus in basi cranii post cerebrum semotum reliquum; tunica arach-

noïdea supra piam matrem nonnunquam insigniter elevata, et convolutiones cerebri aliæ ex aliis fluido late sejunctæ: in paucis ventriculi distensi et ampliati observati sunt; in quibusdam tamen pauxillum fluidi effusum fuit. Humor in superficiem cerebri effusus, aspectum gelatinosum, dura matre primum elevata, exhibuit. In tribus ex his exemplis serum fuit sanguineum; in uno circiter unciæ quatuor seri turbidi, subflavi, cum copia materiæ viridis purulentæ detectæ fuerunt; in altero globuli aëris sub pia matre, et in uno exemplo superficies cerebri præter solitum arida visa fuit.

In exemplis octodecim ex quadraginta et quinque, tunica arachnoïdea densata et opaca, in multis insigniter, fuit, et hæc conditio tunicæ arachnoïdeæ cum effusione seri semper conjuncta. Substantia cerebri generatim præter solitum firma inventa fuit; in exemplis paucis mollissima.

Canalis spinæ quater secta fuit: in uno, a parte tertia superiore deorsum, medullæ spinalis vasculositas aucta; in duobus alteris effusio seri in vaginam medullæ, et in ultimo nihil aspectus morbosi detectum fuit. Ingens copia fluidi scrosi ex canali vertebrali, corpore inverso, interdum effluxit.

Viscera thoracis in viginti et tribus ex quinquaginta exemplis morbosa fuerunt: in viginti et quatuor sana, et in tribus alteris thorax non incisus fuit. Signa morbosa, maxime insignia, sequuntur.

In decem exemplis, textura pulmonum præter solitum vasculosa, nonnunquam vasa ejus sanguine maxime turgida, et in omnibus plus minusve seri interstitialis effusum fuit; pulmones non collapsi, et in uno exemplo dilatati et aëre distenti fuerunt. In septem exemplorum membrana mucosa bronchiorum inflammatione correpta, semel densata visa fuit, et in alio exemplo inflammatio tracheam et laryngem versus sursum tetendit. Tubi bronchiales in his exemplis, materia mucosa, spissa et tenace, coloris subflavi vel subnigri, impleti fuerunt. In duobus exemplis pulmones fuerunt duri, similes hepati, et substantia plena lympha coagulata, et in uno lympha coagulata in superficiem pleuræ dextræ obducta: in quatuor, serum sanguineum vel decolor in uno vel utroque latere thoracis, sed tantum parce, effusum fuit; in nonnullis abscessus et tubercula in pulmonibus adfuerunt. Pericardium in tribus casibus, ex unciis tribus ad sex fluidi serosi continebat; in tribus alteris adhæsiones fuerunt va-

lidæ inter pericardium et cor, ut viderentur chronicæ, et in alio adhæsiones, quæ facile divelli potuerunt, et recentes visæ sunt.

In exemplis viginti et novem ex quinquaginta, viscera abdominis morbosa fuerunt: in novemdecim sana; in duobus abdomen non inspici potuit. In exemplis novemdecim horum, ventriculus aspectus morbosos varios exhibuit. Superficies interna tunicæ mucosæ colore fuit rubro, aliquando splendente, et in casu uno minio non absimilis. Vasculositas ejus multum aucta; maculæ fuerunt parvæ, colore nigriore, quæ sanguinem effusum multum retulerunt, et in aliquibus hæ valde fuerunt numerosæ; vel maculæ ingentes circumscriptæ; aut vasa, multum injecta, aspectum arboris et lineas magnas rubras per cursum eorum tendentes exhibuerunt: tunica mucosa eodem modo ac cutis cum petechiis tecta, aliquando maculis operta fuit. Muco valde spisso et tenace, et semel sanguineo, obducta fuit; textura tunicæ mucosæ aliquando mollis et pulpæ similis, in tribus exemplis, quibus plurimum inflammationis adfuerat, evidenter spissata fuit. Omnia hæc signa in extremitate sinistra ventriculi, et circa orificium cardiacum, manifestiora fuerunt, et huic parti membranæ aliquando propria, alia pallida

vel colore subfusco existente. Tunica mucosa duodeni in tribus exemplis illam ventriculi maxime referebat; densata fuit, colore lateritio, maculis rubris sanguinolentis, et folliculi ejus ampliati fuerunt.

In duodecim cadaveribus signa morbida in intestinis observata fuerunt. Vasculositas multum aucta, sed præcipue in genere venoso, quod nonnunquam valde injectum fuit et sanguine impletum, qui intestinis colorem purpureum et aliquando nigrum impertiit. Superficies tunicæ mucosæ materie spissa, subnigra et tenace tecta, et semel sanguine tincta, fuit; textura ejus interdum fuit mollis, pulpæ similis et facilis fractu. Hæc signa vel intestinis crassis, vel tenuibus propria fuerunt, vel omnibus communia; siquando dejectiones fuerunt nigræ, limosæ et fœtidæ, plerumque prodierunt. Intestina per lympham coagulatam in uno casu coïerunt, in altero inflammatio summa fuit flexuræ sigmoïdeæ coli. Scybala in cellulis coli semel conspecta fuerunt; sed intestina plerumque erunt inania et contracta, purgantibus inter morbum sumptis, verisimile effecta. Contenta in casibus nonnullis, tamen, ex duodeno ad finem coli, constanter flava fuerunt. Raro aliqua vestigia morbi acuti in intestinis reperi; sed in

febre annorum superiorum, (1816 et 17,) contrarium factum est; nam Doctor CHEYNE, in prima ejus narratione, dicit, "In every dissection the "mucous membrane of the alimentary canal was "thickened vascular, in many parts of a bright "red colour; blood was sometimes effused be-"neath it; the vessels appeared varicose, the ru-"gæ were prominent, and between them we of-"ten discovered small white eminences like en-"larged mucous follicles, with minute apertures "in their centre." (Dublin Hospital Reports, 1st vol. p. 30.)

Hepar in cadaveribus undecim morbosum detectum fuit. In uno ex his, superficies inflammatione correpta, lympha coagulata tecta, et membrana circumdans densata et opaca fuit; sed structura sana reperiebatur. In altero parvum et asperum sed non morbosum, et in duobus ampliatum, cum margine anteriore denso et rotundo, visum fuit. In quatuor textura ejus mollis et flaccida et colore livido, cum materia arenosa in substantia ejus, reperta fuit; semel tantum tuberculata; tubercula parva erant, rotunda et fusca. In exemplo ultimo abscessus ingens venam portæ aliaque vasa circumdare inventus est. Calculi biliarii in exemplis quatuor, et in duobus horum in ductu

cystico impacti, reperti fuerunt; vesicula fellis bilem spissam nigram continebat; sed interdum vacua.

Pancreas aliquando ampliatum et induratum, ductum communem prorsus circumdans; lien mollis et flaccidus in uno, et ampliatum et tuberculatum in altero cadavere, repertus est.

Circiter congius seri flavi in cavitate abdominis in casibus tribus inventus fuit; peritonæum in uno præter solitum siccum visum est. In quibusdam ægris, qui febre icterode obierunt, præter flavedinem cutis, vasa et membrana cellularis in aliquibus partibus corporis, nonnihil flava reperta fuerunt.

Convenientia summa, ut expectare liceat, inter affectus viscerum et signa morbida in cadaveribus, observata est; eodem ordine, et fere eadem ratione, quod ad frequentiam, existunt. Nonnunquam tamen accidit, quod nihil mutationis post mortem, quæ symptomata explicaret, repertum fuit: in una fœmina, quæ delirio vehementer correpta fuit per partem majorem morbi, et comatosa fuit per duos dies posteriores, cerebrum prorsus sanum videbatur. In paucis exemplis vestigia fuerunt insignia morbi in organo, munus cujus, homine vivo, non impeditum fuisse apparebat.

Hanc historiam generalem anatomiæ morbidæ febre epidemica pereuntium, tradere partim potui, Doctore Cheyne benigniter mihi sinente, casus in tabula ad finem narrationis ejus secundæ de febre editos, citare, in qua historia brevis symptomatum singulis sectionibus affixa est. Plurimas cadaverum incisiones ipsemet perfeci.

Ex supra dictis patet, quod in undecim ex duodecim ægris, affectus locales febri adfuerunt; et in parte duodecima sola affectus locales prorsus abfuerunt. Febris continua cum vitio cujusdam ex visceribus frequentius quam scriptoribus medicis visum est, conjuncta esse apparet, nisi descriptioni febris hujusmodi limites arctissimos imponerent.

Paucæ constitutiones ex proclivitate ad quemdam morbum præ aliis immunes sunt, vel quæ morbo quodam tempore non laboraverint; et in fere singulis hominibus, et etiam omni ævo, aliquid organum corporis cæteris debilius est; non igitur mirandum est quod morbus ac febris, quæ omnes functiones adeo turbat, cum affectu locali sæpissime simul adsit, quia lex est œconomiæ animalis ut morbus partem maxime debilem præcipue afficiat *.

* De febre Philadelphiæ disserens hæc habet Doctor Rush:

Conditio morbida cerebri febri frequentissime adesse videtur, nam caput in ægris plerisque doluisset; et in omnibus cadaveribus inspectis, duobus vel tribus tantum exceptis, caput signa morbida exhibuit; febricitantes tamen conspexi in quibus nulla signa vel minima capitis laborantis detegere potui. Proclivitas ad capitis affectus hac re aucta fuisset, nimirum, quod plerique ægri, multis inopiis subjecti, tristitia atque anxietate haud parvis, tempore quo morbo correpti fuerunt, laborarunt.

Munera ventriculi, febre perstante, semper turbantur, quoniam anorexia et lingua fœda nunquam non adsunt. Sed hanc febrem plurimum irritationis vel inflammationis quorundam organorum concoctioni cibi inservientium sæpe comitari, et consensum insignem inter vitia ventriculi et capitis intercedere, dictum est. Inopia et natura prava commeatuum, tempore quo epidemica erupit, proclivitatem majorem ad morbos viscerum concoctioni inservientium, verisimile excitasset.

Facile est intellectu quomodo pulmones morbi,

" It was remarkable that this fever always found out the weak " part of every constitution it attacked." Medical Inquir. and Obser. vol. 3d, p. 138.

cujus effectus proprius est actionem cordis et arteriarum augere, sæpe participites essent. Propensio ad istos affectus, defectu vestitus et fomitum, et igitur ægris vicissitudinibus cœli subjectis, aucta esset.

Pleraque signorum morbidorum in cadaveribus visorum, quæ tradita sunt, symptomata fuerunt vel generis vasculosi ad actionem auctam incitati, vel inflammationis. Effusio seri in cerebrum, quæ inter signa fuit solitissima, cum in exemplis quibus indicia actionis immodicæ, tum in illis quibus ingens imbecillitas adfuerunt, observata est. Convenientia quæ inter structuram membranæ serosæ et cellularis existit, quam Bichat accurate exhibuit, effusiones serosas tunicæ arachnoïdeæ, pariter ac membranæ cellularis, vel ex actione aucta vel diminuta oriri, nos concludere induceret. Densitas et opacitas hujus membranæ motum frequentiorem vasorum solito indicabunt, nam sine hoc nulla pars corporis aliquid incrementi accipere potest.

Quædam ex signis tamen, cadavere secto, visis, vel nullam actionem auctam, vel debilitatem indicarunt: hic adfuerunt nulla vasculositas insolita; pallor præter naturam et textura mollis cerebri; natura spongiosa hepatis et lienis; pallor

et flacciditas ventriculi et intestinorum; venæ posteriorum sanguine turgidæ, membranæ pulposæ et facile laceratæ.

Secundo.

DE QUIBUSDAM FEBRIS VARIETATIBUS.

Majoris perspicuitatis causa, varietates febris quas consilium est mihi describere, secundum organa quæ præcipue affecta fuerunt, ordinabo. Illas primo tradam in quibus cerebrum et totum genus nervosum imprimis laborarunt, et postea illas quæ, ob affectus viscerum thoracis et abdominis, insignes fuerunt.

Febrem invadentem cephalalgia et vertigo sæpe comitabantur, quamvis hæ, nisi morbus aliquot dies extiterat, aliquando non observabantur. Delirium et stupor stadiis provectioribus accesserunt. In exemplis plurimis, tantum adfuit pauxillum cephalalgiæ vel vertiginis, quæ paucis diebus post febrem adortam, sua sponte abiit, vel emetico, purgantibus, vel missioni sanguinis ope paucarum hirudinum temporibus admotarum, cessit, et alia symptomata febris eodem tempore levamen plerumque subierunt: hoc genere febris mitissimæ pueri plerumque laborarunt.

Dolor capitis tamen sæpe fuit gravissimus,

quippe cui rubor insignis vultus, ardor, suffusio rubra oculorum, pulsatio temporum adfuerunt; et dolor aliquando eo usque fuit vehemens, ut sensum quasi ossium cranii divulsorum præberet. Missio sanguinis e brachio vel arteria temporali, hirudines capiti admotæ, abrasio capitis, et ablutio hujus cum aqua frigida et aceto, vel mistura spirituosa (ex aqua acetatis ammoniæ et spiritu lavandulæ) ad evaporationem majorem efficiendam, sæpe levamini fuerunt. Aqua frigida super caput affusa aliquando magnopere profuit. Purgantia nunquam omissa fuerunt; et dolor capitis, quamprimum dejectiones quædam copiosæ factæ fuerunt, sæpe ex toto summotus est. Emetica, rebus sic existentibus, vix aut ne vix quidem exhibita fuerunt; nam dolorem capitis post operationem horum magnopere auctum fuisse, verisimile ob ingentem impetum sanguinis caput versus, conatibus ad vomendum inductum, interdum observatum fuit; actio eorundem, missione sanguinis priore, saltem tutior fiebat. Quum dolor capitis his modis non ex toto levamen subiit, emplastrum vesicatorium vertici, cervici, vel inter humeros, impositum fuit.

Affectus capitis aliquando pertinacissimus fuit, et actioni omnium remediorum solitorum restitit.

In nonnullis exemplis symptomata inflammationis summæ conspecta fuerunt: Duo igitur in quibus eventus fuit lethalis proferam.

Gulielmus Brodie, ætat. 22, in Nosocomium die decimo tertio morbi admissus est. Ab initio, dolore gravi capitis et nausea perpetua, laboraverat: die quarto decimo de cephalalgia gravi questus est; vultus floridus, inflammatio haud parva utriusque conjunctivæ, quæ chemosi afficiebatur; dolor globorum oculorum, anxietas, animus demissus, lingua sicca et fusca, cutis arida, pulsus frequens. Die quinto decimo oculi tumore palpebrarum occlusi, multum molestiæ circa regionem ventriculi et inquietudinis. Die sexto decimo coma, respiratio cum stertore, digiti volam versus contracti, manus ad caput sæpe elevatæ, subsultus tendinum, vis devorandi amissa, mors.

Arteria temporalis incisa, hirudines et emplastra vesicatoria capiti admotæ, &c.

Sectio cadaveris.—Caput. Superficies cerebri sana, convolutiones tantum maxime planæ. In parte laterali hemisphærii dextri duo ingentia coagula sanguinis fuerunt, quæ in substantiam cerebri medullarem profunde descenderant. Coagulum maximum circiter duos pollices longum fuit, et cursum cum fissura sylvii parallelum ad

basin lobi medii servavit. Coagulum alterum in parte superiore hemisphærii dextri situm fuit, et angulo superiori ossis parietalis convenit. Substantia medullaris cerebri per spatium digiti utrumque coagulum circumdans, in substantiam mollem gelatinosam mutata fuit. Ventriculus sinister aqua distensus fuit, et cavitas multum ampliata. Ventriculus dexter aliquid aquæ continebat, sed copia parciore quam sinister, cavitas non multum ampliata: tumor mollis, adiposus in plexu sinistro choroideo situs fuit.

Spina.—Plurimum fluidi pellucidi sub tunica arachnoïdea medullæ spinalis passim repertum fuit.

Thorax.—Unciæ sex humoris in pericardio; pulmo sinister ad parietes arcte adhærescebat.

Abdomen.—Membrana mucosa ventriculi quam in statu sano pluribus vasis conferta; ad orificium cardiacum colore ruberrimo tincta, cum maculis parvis numerosis, sanguinem effusum referentibus, passim sparsis. Tunica peritonealis intestinorum parvorum pluribus vasis impleta, et nigrior solito.

Altera ægra fuit ministra in Nosocomio, annos viginti nata, quæ cephalalgia gravi, muscis ante oculos volitantibus, irritabilitate ventriculi labora-

bat, et die sexto obiit, ante mortem loquela et visu partim pereuntibus. Basis cerebelli lamina tenui sanguinis nigri inter tunicam arachnoïdeam et piam matrem effusi obducta fuit, et hæc extravasatio secundum falcem et partem haud parvam utriusque hemisphærii cerebri propagata fuit.

In primo ægrotante, nihil ad gravitatem symptomatum levandam donec die quarto decimo, quo ne sanguis in cerebro effundatur, fortasse serius esset præcavere, tentabatur, et haud absimile est quin missio sanguinis copiosa, morbo ineunte, hac vi polluisset. In secundo casu, ægra juvene et plethorica, ut sanguis primo die affectus mitteretur, præceptum fuit; sed operationem subire pertinaciter recusabat, et non nisi die tertio arteria temporalis incisa fuit, cum pauxillum sanguinis tantum effluxit.

In quadam ægra spatium temporis per quod dolor capitis perstabat insigne fuit; quippe qui nunquam, ex febre ingruente usque ad diem vigesimum nonum quo convalescentia perfecta fuit, cessit: dolori capitis subinde vehementi adfuerunt rubor vultus, animus demissus, torpor, somnolentia, febris demissa irregularis, vomitus bilis interdum accedens, aversio caput ex pulvinari levandi, et per dies sex ultimos defectus visus in oculo sinistro, et

utriusque pupillæ dilatatio. Caput nisi post constitutionem viribus hydrargyri subjectam levamen expertum est, omnibus remediis solitis antea frustra usurpatis. Hæc ægra annos viginti tres nata fuit; malum nulli affectui venereo tribui potuit, et indolem hydrocephali potius referre videbatur. Hoc solum est exemplum, quatenus mihi visum fuit, adultæ sic laborantis; sed quosdam casus similes in pueris conspexi, ubi febris dolore capitis gravi adorta, signa stadii incipientis hydrocephali finem versus prodierunt, quæ tractatione acri plerumque superari videbantur, sed in nonnullis ægris iste morbus perfecte formatus febri accessit.

Præter gradus diversos doloris, ut supra dictum, sensus ponderis, plenitudinis et oppressionis in capite, molestus et pertinax, adfuit. Hoc signum erat præcipuum in uno ægro, qui, febre demissa, viribus insigniter prostratis et tristitia, laborabat. Ex die duodecimo ad vigesimum octavum hoc signum perstitit, et non nisi post systema viribus hydrargyri subjectum abiit.

In quibusdam ægrorum, de quibus supra dixi, nihil levamini fuit capiti priusquam actio hydrargyri in constitutione inducta fuit; et alii, cito post hydrargyrum sumptum, quamvis fluxum salivæ non induxit, evidenter convalescere videbantur.

Dolore capitis venæsectioni, emplastris vesicatoriis, ablutionibus frigidis, affusioni tepidæ, purgantibus et cæteris resistente, submurias hydrargyri et opium simul commista, commodum insigne præbere reperta fuerunt; et hæc usque ad gingivas affectas non semper necesse fuit exhibere. Hoc sententiæ Doctoris ARMSTRONG * de modo tractandi febrem convenit, quamvis hydrargyrus pro remedio generali, ob periculum ejus in Nosocomiis nostris factum, non laudari potuit. In plerisque horum casuum sensus fuit acutus in episgastrio, nausea, vomitus bilis, dejectiones virides; ventriculum et hepar vitiata demonstrantes, quæ munera cerebri turbare forsitan magnopere pöllebant.

Cum delirium in hac febre accessit, nonnunquam fuit ferocissimum, et morbus aspectum maniæ induit. Morbus in aliis ex his exemplis in mortem, in alteris in amentiam confirmatam, sed in plerisque in sanitatem desiit. In quibusdam ægris in quibus delirium insaniæ accedere visum est, affusio frigida admota fuit, et ægrum restituendi et febrem tollendi effectum habuit. Summi est momenti coërcitionem acrem in affectibus hujusmodi non exercere, ut apud ministrantes nimis

* Armstrong on Fever.

solitum est. Regulæ de hac re præclaræ in opusculo Doctoris Grant de febre reperiendæ sunt.

In uno ægro qui delirio gravi et abnormi laboravit, status pulsus insignis erat; hoc nimirum præter solitum tardo, trigesies ad quadragesies minuto horæ tantum micante, et valde irregulari existente. Post hirudines duodecim capiti, et emplastrum vesicatorium collo admotum, omnia symptomata cesserunt, pulsus ad quinquaginta et octo micationes ascendit, et æger prorsus convaluit. Sanguinis circuitus languidus, aliaque symptomata in hoc exemplo, ex congestione in vasis compressionem cerebri inducente, verisimile pendebant.

Cum caput per febrem graviter affectum erat, animus ad actionem ejus regularem post ægrum convalescentem, interdum non statim restitutus est. Hoc tamen periculo vacabat; nam insania confirmata raro pro sequela febris, nisi aliquid proclivitatis summæ ad eam existebat, accessit. In uno exemplo æger insania, per mensem post febrem levatam, laborabat. Delirationes fuerunt vividæ; ad sanam mentem subito restitutus est, et quod mirum est, omnia a se per hoc tempus dicta et facta recordatus est.

In exemplis jam traditis, febris ipsa plerumque mitis fuit, et affectus capitis solus periculum mi-

nitatus est; alienatio mentis haud interrupta plurimos dies perstitit; et huic discedenti convalescentia et sanatio perfecta accesserunt. Sed delirium sæpe signum fuit febris in formis ejus teterrimis, quibus per paroxysmos adorta est, et quod stupor et plurima signa infausta comitabantur.

Quandam ex his varietatibus denotarunt munera cerebri et generis nervosi plurimum impedita, omnes sensus magnopere acuti, anxietas febrilis magna, irrequies perpetua, pervigilium, tinnitus aurium, delirium maturum; hoc vel fuit ferox, et æger non retinendus; vel mite, et delirationes vel vividæ aut morosæ: febris progrediens valde fuit abnormis; frequentes fuerunt exacerbationes, quibus remissiones imperfectæ accesserunt: quodam tempore diei adfuerunt rigor, sensus frigoris, vultus pallidus et collapsus, stupor, prostratio virium, pulsus parvus et irregularis: alias ardor, genæ floridæ, agitatio summa, pulsus celerrimus et validus. Morbo progrediente, summa debilitas ingruit; mortem prægressi sunt tremores, convulsiones, sudationes frigidæ et tenaces. Lingua ad initium albida vel flava cum margine florido, postea fusca et sicca, et denique nigra, tumida et corrugata: dejectiones fuerunt nigræ atque fœtidæ; petechiæ vel floridæ vel fuscæ sæpe adfuerunt;

febrem ineuntem plus minusve doloris capitis aliquando comitatum est.

Morbo cedere incipiente, delirium paulatim fuit mitius; æger torpore correptus est, et somno naturali gaudebat; lingua ad marginem et apicem lævis et humida fieri cœpit; pulsus frequens et calor auctus cesserunt; vultus aspectum magis naturalem induit; sudores fuerunt critici; urina sedimentum demisit, vel aliter febris somno, sine crisi manifesta, finita fuit.

Delirationes interdum erant vividæ: in uno exemplo dolor capitis, et febris per primos dies quatuor adeo ingravescebant, ut sanguinem semel e brachio, et bis ex arteria temporali usque ad uncias duodecim singulis vicibus, mittere opus esset. Ventriculus ægræ in hoc casu per totum morbum valde fuit irritabilis, et ipsa fatua diu videbatur. Inflammatio pulmonum, vel in stadio primo vel febre abeunte, subinde observata est: delirio aliisque symptomatibus cedentibus, tussis et dyspnœa adortæ sunt, et convalescentiæ impedimento fuerunt.

Febris, in quibusdam exemplis, alicui organo præ alio non insidere videbatur, et ad initium mitis fuit, quæ tamen in errorem ducere solebat, quia indolem periculosam postea induit. Diver-

sa stadia non semper persolvit; sed per decursum primæ hebdomadæ se remisit, vel ad secundam et aliquando ad tertiam protracta fuit.

Anno 1818 ipse febris correptus sum. Hæc modo solito me invasit: Nihil doloris per decursum hujus expertus sum. Signa fuerunt summa irrequies, calor auctus, pulsus parvus et frequens, sensus externi præter solitum acuti, et imaginatio vivida; pervigilium, imaginum series perpetua moventium, vel species phantasmagoriæ, quæ summæ molestiæ fuit mihi, quum primum oculos clausi visa; pervigilium per sex dies inter cruciatus maximos fuit, et delirium, nisi febris die septimo post sudorem criticum se remisisset, huic verisimile accessisset. Recidivam post aliquot dies expertus sum; et usque ad diem vigesimum, quo post rigorem ob vehementiam ejus fere convulsivum, alter sudor erupit et febris cessit, male me habui. Tarde tamen convalescebam, utpote debilitate multo graviore quam, ex symptomatibus ut videretur mitibus, expectare licuisset, laborabam. Salivatione profusa per paucos dies, cujus causa non patebat, correptus sum: idem in quibusdam aliis exemplis observatum fuit.

Hæc febris ad initium sub forma hysteriæ interdum prodiit. Una ministrantium annos viginti

nata, habitu pleno et constitutione robusta prædita, paroxysmo gravi hysteriæ correpta fuit, in qua sensus expers per longum tempus perstitit, et cui febris gravis, delirium, suspiria hysterica, &c. statim accesserunt. Malum die quarto saluti cessit.

Quædam similia exempla morbi mihi oblata fuerunt, et hæc conjunctio febris et hysteriæ a Doctore CHEYNE in narratione sua febris secunda *, in qua historiam duorum casuum insignium tradit, descripta fuit: unum exemplum, cui frequens syncope adfuit, notavi.

Species fuit febris priori, quod ad plurima symptomata, diversa: lingua passim fuit nitida, sed sicca et vitrea, vultus vel floridus vel pallidus, sed lineamenta parum mutata; oculi fixi, parum somni, delirium noctu, sed quies interdiu; pulsus celer et debilis, calor pungens, respiratio accelerata, pedes frigidi, debilitas insignis; febris diu protracta, et convalescentia tarda.

Classis febrium de qua dixi *fievre maligne ou ataxique* Doctoris PINEL †, et in quibusdam rebus febri nervosæ HUXHAMI ‡ convenit. Illos constitutione nervosa irritabili, qui summæ fatigationi

* Dr Cheyne on Fever, 2d vol. Dublin Hospital Reports, p. 24.

† Nosographie Philosophique, vol. i. p. 186.

‡ Huxham on Fever.

corporis vel anxietati animi prius subjecti fuerunt, et imprimis divites, febris hæc plerumque adorta est.

Alia species fuit prioribus, quod ad multas res, diversa. Tantum excitationis animi vel actionis validæ febrilis huic non adfuit. Vires ab initio magnopere prostratæ fuerunt; vultus fuit pallidus et fœdus, pulsus debilis et non admodum frequens, calor corporis parum auctus, et aliquando infra modum naturalem, delirium submissum, mussitans, stupor, tremores, petechiæ subfuscæ plurimæ, pedes sæpe frigidi, lingua sicca, nigra et tremula: in nonnullis ægris fuerunt maculæ gangrænosæ in pedibus, cruribus, naso, aliisque partibus corporis, et generatim renixus in systemate plurimum defecit.

In uno exemplo hujusmodi ægra torpida et sensus expers ex die octavo ad vigesimum primum perstitit; recidiva fuit ei febris, qua perstante, femur tumebat, pus in hoc genitum fuit, et ipsa anasarca generali aliquamdiu laborans, mortua est.

Sub finem anni 1819 iterum febre correptus sum, et ægram supra dictam eandem mihi impertiisse, verisimillimum esse duco. In cameram multo mane ingressus, illa pessime se habente, appropinquante lecto, fœtor a me perceptus, nauseam

excitavit, et post biduum, febre ejusdem generis corripiebar. Die quinto in stuporem decidi, et usque ad diem decimum quartum omnium quæ accidissent inconscius eram; delirium mussitans subinde mihi ortum est, lingua fuit nigra, pulsus debilis, petechiæ plurimæ fuscæ, respiratio semel potius difficilis: febris in somno sine crisi apparente finita fuit. Convalescentia tardissima.

Respiratio laboriosa, præcipue febre provecta, semper fuit signum infaustum. Magnopere retulit cavere ne illa respiratio accelerata, quæ pulsui debili et celeri atque summæ debilitati sæpe adest, pro dyspnœa ab inflammatione pulmonum oriente, habeatur.

Modus diversus, quo his duabus febribus laborabam, maxime insignis est. In prima, sensus externi et facultas sentiendi præter solitum fuerunt acuti, et imaginatio vivida. In impetu posteriore, omnes dotes animi obtusæ visæ sunt, res externæ vix fuerunt perceptæ, et, dum convalescebam, memoria aliquamdiu partim mihi defecit.

Hæc species febris typho graviori CULLENI, febri malignæ putridæ HUXHAMI * et *fievre maligne adynamique* Doctoris PINEL † aliquid similis apparebat.

* Huxham on Fever.

† Nosographie Philosophique, vol. i. p. 127.

Plurimos ætate provectos, (annos sexaginta et amplius natos,) febris epidemica adorta est: in his speciem peculiarem induit, et submissa atque mussitans, ut in exemplo sequente, extitit.

Joannes Kearney, ætat. 70, habitu tenui et constitutione debilitate præditus: febris submissa, sine aliquo affectu locali, mens prorsus sana, cutis arida et sicca, pulsus frequens et debilis, vires maxime prostratæ, vultus pallidus, chloroticus et corrugatus, lingua sicca, primum fusca et postea atra, dejectiones nigræ, emaciatio summa. Febris usque ad diem decimum septimum; convalescentia tardissima.

Interdum diarrhœa colliquativa vel dysenteria adfuit. Multi ex his senibus, qui ad sanitatem post nixum violentem restitui apparebant, recidivam passi, subito obierunt. In uno exemplo morbus celerrime progressus est, morte hora quadragesima post primum impetum adorta. Nonnihil fluidi serosi in superficie cerebri, et in vagina medullæ spinalis repertum fuit. Hoc solum fuit signum morbosum detectum.

Febres de quibus locutus sum semper fuerunt graves: quædam res curationem difficilem et eventum incertum reddiderunt: symptomata inflammationis et debilitatis aliquando fuerunt conjuncta; vel, contra, signa abnormia, quæ in erro-

rem de vera indole morbi, proclivia fuerunt ducere. Prostratio virium, nonnunquam etiam ab initio, adfuit: homines constitutionibus ex natura imbecillibus præditi, vel morbo priore, fatigatione vel ætate, confecti, his febribus correpti fuerunt. —Ad rationem medendi nunc pergam; sub hac includuntur,

MISSIO SANGUINIS.—Cum symptomata inflammationis vel vasorum magnopere congestorum in aliquibus organis præcipuis adfuerunt, sanguinis missio vel generalis vel localis præcepta fuit. Hæc tamen, quia vires ægri celeriter deficere proclives erant, caute peracta est. Observatio Equitis JOANNIS PRINGLE ad has febres pertinet, "that if the patient be once or twice largely blood-"ed on the first symptoms, he will be apt to pass "over the second stage, and, from a condition lit-"tle removed from health, his pulse may sink, and "he may become delirious."

Ad venæsectionem igitur, nisi in primo febris stadio, et aliquo affectu locali existente, raro confugitum est. Sanguinis, quantum ad organum affectum levandum opus fuit, tantum missum est: plus quam unciæ octo vel decem sanguinis ex brachio vel arteria temporali semel raro fuit de-

tractum : hirudines, cum missio generalis non tuta videretur, sæpe admotæ fuerunt, et hæ dolorem in capite localem vel epigastrio, quam detractio sanguinis e brachio, efficacius levare visæ sunt. In aliquibus ægris, tamen, sanguinem iterum mittere, idque copiose, ne structura organi laborantis læderetur, quamvis sanatio ægri inde tardior fieret, necesse visum est, ut in uno ægro, de quo dixi, accidit. Hoc remedium, caute usurpatum, summum fructum præbuit. Dolori vehementi et signis molestis levamini fuit ; actioni aliorum medicaminum, ut emeticorum, catharticorum et sudorificorum auxilio fuit, et febribus ad initium periculum minitantibus, indolem quasi mitiorem praebuit.

Venæsectio æque ac omnia remedia acria, vel magnopere prodesse, vel nocere potest. Missio sanguinis intempestiva in febre aegro sit exitio, dum contra tempestiva vitam ratio sit servandi.

Sanguinis missio ab aliis remedium potentissimum et universum in febre, ab alteris periculosissimum esse fertur. Sed illi vix negare possunt febri interdum adesse signa summæ debilitatis, et ægrum sæpe, ob vim vitæ deficientem solam, perire : nec hi vitam sæpe esse in summo discrimine ob inflammationem minitantem structuram lædere,

et munera cujusdam visceris præcipue impedire. Hoc non tantum signis febris, sed quoque indiciis morbidis, cadavere secto, quorum historia in initio hujus dissertationis tradita est, et quae observatio quorundam scriptorum de re medica confirmat *, satis demonstratur. Sanguinis missio igitur sine discrimine peracta vel omissa, sequelas infaustissimas in febre procul dubio inferet.

Res præcipue, quae venæsectionem in febre postulare videntur, sunt signa inflammationis vel sanguinis congesti in vasis cerebri, in pulmonibus, visceribus abdominis, vel quadam alia parte corporis, et etiam febris gravis et inflammatoria, pulsus plenus, celer et durus, calor insigniter auctus, et vultus floridus in aegro juniore et robusto; quod tamen sine inflammatione locali raro observatur.

Hæc signa, quibusdam generibus febris nunquam, stadio primo tantum aliarum, dum stadiis omnibus alterarum, adsunt. Regulæ etiam erunt nobis sanguinem mittentibus, ætas, constitutio et valetudo prior aegri, stadium febris, indoles epidemici sævientis, tempestas, cœlum, &c. Exempla in quibus de commodo derivando ex sangui-

---

* Beddoes' Researches, Anatomical and Practical, on Fever. Mill's Reports on Fever.

nis missione præcipue dubitari potest, siquando affectus locales, stadio provecto febris, observantur, existunt. In ægris undecim ex duodecim hoc epidemico laborantibus, impetum sanguinis localem adfuisse, supra dictum est. Ut sanguis mitteretur igitur, saepe præceptum fuit, et in ægris sex ex octo hoc peractum est, et in quarta parte horum ope hirudinum. Missio interdum, quamvis raro, semel vel bis repetita fuit; et in quodam ægro, qui inflammatione pulmonum et hepatis laborabat, sanguis e brachio sexies elicitus est.

Illi qui venæsectionem in febre laudant, in opiniones valde diversas de quantitate detrahenda ineunt. Ut sanguis copiose mittatur nonnulli præcipiunt: sed cum perpendamus quam difficile sit, causa proxima febris adhuc imperfecte cognita, febre ineunte, quem cursum haec servatura sit, quamdiu perstet, annon indolem ejus dum pergit omnino mutet, statuere; concedere oportet, rationem medendi maxime idoneam esse, ut signa urgentia levare solummodo conemur, attentione nulla theoriæ cuicunque adhibita. Quædam exempla vidi, in quibus, majore copia sanguinis quam opus fuit ad affectum localem sublevandum detracta, ingens virium prostratio accessit,

et eventus morbi multo magis incertus et protractus quam aliter fiebat. Sanguinis missio copiosissima tantum idonea est, cum consilium est febri ineunti subito obstare, " morbumque jugulare," ut SYDENHAMUS dicit.

2. PURGANTIA.—Proximum ad venæsectionem purgantia locum tenent, ad actionem febrilem minuendam, et congestionem localem summovendam. Haud parvi tamen fuit momenti, inter hæc exhibendum, stadio febris et viribus ægri attentionem adhibere. Catharticum acre, stadio provecto febris et tempore quo vires ægri reficere oportuit, sumptum, insignem debilitatem aliquando inducere, visum est. Post alvum initio bene solutam, evacuationes duæ tresve modicæ indies sufficere existimabantur: purgatio nimia, præter debilitatem inductam, febrem, alvum irritabilem servando, graviorem effecit, et proclivitatem ad tympanitidem induxit.

3. VOMITORIA.—Emeticum, febre ineunte, interdum usurpatum fuit. Emeticum quoque lene, stadio febris provecto, lingua per longum tempus fœda et sicca perstante, aliisque remediis nihil efficere visis, exhibitum, subinde utile fuit.

4. Vesicatoria.—Emplastrum catharidum vel sinapisma, ad dolorem pertinacem localem tollendum, delirium mitigandum, et stuporem levandum, vel ad vires vitæ deficientes suscitandas, admota fuerunt. In stadio primo, quia febrem irritando auxerunt, raro in usum venerunt. Delirium venæsectione et purgantibus stadio provecto febris non fugatum est, et aliquando sponte discessit.

5. Narcotica et sedantia.—Anxietati et irritationi summæ, delirio urgenti, opium parce sumptum cum submuriate hydrargyri commistum levamini fuit efficacissimo; nimirum, calomelanos grana xii, opii gr. ii, in pil. vi. Una ex his pilulis tertiis vel quartis horis sumpta, agitationem summam ægri, effectum habuit sedandi, et aliquid stuporis, qui somno cessit, inducendi. Opium in his parvis dosibus usurpatum, vires leniter stimulantes, quibus vires ægri sustinebantur, præbere visum est. Calomelas cum illo commistum alvum solutam servare contulit. Calomelas et opium in his exemplis, consilio constitutionem afficiendi, non præcepta fuerunt. Dejectiones sanguinolentas nonnunquam effecerunt, quibus factis omissa sunt; guttae quinque tincturæ opii quaque quarta vel

sexta hora sumptæ, ægrum quoque sedare conduxerunt: hanc rationem medendi olim, ut in opere Doctoris Fordyce de febre memoretur, usurpatam, summis laudibus effert Dr Cheyne *.

Aliud remedium valde sedans et jucundum aqua tepida fuit, scilicet, ad gradum 98 calefacta, per totum corpus affusa. Somnum plerumque, et sudorem profusum cui accessit febris remissio, aliquando, induxit. In stadiis provectis febris, cum affusio frigida nocuisset, illa usurpata fuit. Hæc in exemplis quindecim eventu vario admota; febris in quatuor fugata fuit; levamen pro tempore sex ægri tantum, quatuor nihil solaminis omnino, experti sunt, et in uno, symptomata graviora evaserunt. Ablutio tepida vel frigida, calorem moderando, quoque multum profuit.

6. Cardiaca.—Medicamenta proxima, de quibus dicendum est, stimulantia vel cardiaca sunt, et nihil majoris fuit momenti quam, quo stadio morbi et qua copia haec sumi debent, statuere: prostratione virium has febres, præcipue in stadiis earum provectis, plerumque comitante, cardiacis sæpe opus fuit. Prostratio vel potius depressio

* Vide Cheyne on Fever, 2d Report, p. 65. Fordyce on Fever, Dissertation III. p. 236.

virium nonnunquam effectus fuit congestionis in pulmonibus vel cerebro, circuitum generalem impedientis; et rebus sic existentibus, cardiaca igitur multum vituperanda sunt. "Nature is not al-"ways sunk," ait Dr Grant, "when she is un-"able to perform her office: in the beginning of "fever she is stunned and oppressed with ple-"thora, inflammation, &c.; these obstacles re-"moved, she will soon recover and exert her "powers *."

Siquando virium prostratio ex vi vitæ revera deficiente inducebatur, cardiaca maxime profuerunt. Quamdiu tamen satis virium naturæ relinqui videretur, ad morbum fauste finiendum, nulla stimulantia exhibere præstabat: sed de hac re sæpe non facile fuit statuere: ægri aliquando se adeo habebant, ut remedia debilitantia vel roborantia pariter nocuissent: si aliquid dubii tamen extitit, cardiaca, ut per effectus eorum annon continuari debuerint constaret, parce exhibita fuerunt. Si pulsus, pro celeri et debili, validior et minus frequens fiebat, si delirium et irrequies vel minime levata fuerint, si vultus aspectum saniorem induit, vox magis naturalis, calor corporis magis æqualis et constans fiebant, et si cardiacum ægro fuit ju-

* Grant on Fever, vol. i, p. 195.

cundum, idem profuisse certiores eramus: sed si res se aliter haberent, minime continuandum esse. Cum lingua crusta nigra obducta fuit, alvus soluta, cutis sicca, sed non nimis arida, et æger stupore correptus, vinum ei concessum plerumque effectus optimos induxit. Vinum fuit cardiacum, cui præcipue fidimus: in copia parva, scilicet, ex unciis quatuor ad octo indies, semper exhibitum fuit. Stimulo nimio febrem augendi, et debilitatem denuo inducendi, effectus erat. Vix opus est addere, abrasionem capitis, lotiones refrigerantes ei admotas, pediluvium, potus diluentes et acidulatos, auxilia fuisse nunquam neglecta.

7. Diaphoretica.—Diaphoretica, nisi cum proclivitas ad perspirationem adesse videretur, cum æger de frigore quæreretur, calore modico et cute humida, raro exhibita fuerunt. Antimonialia per dies primos tres vel quatuor febris, consilio huic ineunti occurrendi, aliquando præcepta fuerunt; et paucæ doses pulveris antimonialis effectus emeticos catharticos et sudorificos spatio horarum viginti quatuor, nonnunquam præbuerunt. Cum rigor vehemens aderat, opiatum ex guttis viginti et quinque tincturæ opii et vini antimonii guttis quindecim compositum, sudorem sæpe induxit.

Venæsectio in quibusdam effectus diaphoreticos, minuendo temperiem corporis ad illum gradum qui exhalationi cutis favet, præbuit, et quem Doctor Grant * punctum sudatorium nuncupat. Affusio aquæ frigidæ, vel ablutio tepida, sudori pariter favebat.

Unam varietatem febris ob rem insolitam, nimirum, sudores copiosos debilitantes, qui per totum ejus decursum adfuerunt, nunc memorabo.

Anne Burke, æt. 50, habitu tenui, constitutione nervosa et irritabili prædita, liquoribus spirituosis addicta, febre valde irregulari, aliquando vehemente, cui adfuerunt exacerbationes quotidianæ, quibus sudores copiosi generales accesserunt, correpta fuit. Hæc die quinto se remisit; sed ægra recidivam bis experta est, et febris nisi die quadragesimo septimo non ex toto abiit. Sudores profusi per totum spatium temporis erumpebant, intervallis remissionis inter singulas recidivas non exceptis, et hi non priusquam febris diu cesserat, et dysenteria adorta erat, cessaverunt. Vires prorsus fuerunt exhaustæ; et quodam stadio morbi ventriculi summa irritabilitas,

* Vide Grant on Fever, vol. i. p. 186. Alexander's Essays and Experiments, p. 160.

altero inflammatio vehemens pulmonum, quæ missioni sanguinis cessit, observata fuit. Plurima remedia, nimirum, cinchona, acida mineralia, vinum, amara, &c. ad hos sudores obstandos, sed pauxillo vel nullo effectu, præcepta fuerunt. Aqua frigida cum aceto corpori spongiis admota, illos pro tempore levare visa est. Notandum est, quod in hac ægra, dum functiones cutis modo præter solitum in actionem ciebantur, intestina insigniter torpebant, et quam primum haec inflammatione correpta sunt, illæ minore actione pollebant.

In duabus alteris ægris signa præcipua fuerunt sudores perpetui profusi; et in omnibus his exemplis functiones animi, quamvis febris ingravescebat, non imminutæ fuerunt. Sudor non semper vi febrem imminuendi pollebat; nam in ægris supra dictis, pulsus pariter frequens fuit, et calor superficiei corporis magnopere auctus perstabat. Exempla hujusmodi exceptiones sententiæ, inter plerosque de calore febrili receptæ, constituunt.

Observationes de hac re æstimandæ a Doctore CHEYNE *, in communicatione ejus de febre secunda prolatæ sunt, et in eodem opusculo tabulas

* Hæc habet, pagina 16: "I have more than once seen the "thermometer, in the axilla and mouth of a patient bathed in "sweat, raised to 104 or 105."

ostendentes statum relativum pulsus, respirationis et temperiei per idem stadium febris profert. A Doctore Grant quoque observatur, quamlibet excretionem criticam, ultra certos limites auctam, defectum virium et accessionem novam febris efficere; et igitur pariter nocivum esse operationes naturæ accelerare ac impedire. De uno ægro loquitur, ex quo sanguis missus fuit, et qui emetica atque cathartica per primam hebdomadam sumpsit; sudor profusus erupit, quo continuato, phrenitis adorta est, et æger hoc morbo graviter affectus, mortuus est.

Exempla nonnulla fuerunt febris cum erysipelate conjunctæ, et hoc morbum graviorem semper reddidit. Inflammatio erysipelatosa caput solum plerumque invasit, sed per totum corpus aliquando diffusa est. In uno ægro erysipelas capitis cynanche tonsillaris gravi accessit.

Erysipelas æstate et autumno anni 1819 febri sæpius adfuit. Cum febre inflammatoria plerumque conjunctum fuit. Sanguinem mittere vel hirudines capiti, et signis stuporis vel delirii præsentibus, emplastrum cantharidum collo aliquando admovere, necesse erat. Effectus optimos solutio tartratis antimonii, ratione duorum granorum ad uncias octo aquæ, quaque tertia hora sumpta,

edidit. Per illam tempestatem, proclivitas insignis ad inflammationem erysipelatosam, nam hæc in ulceribus scrofulosis, vulneribus simplicibus, et plurimis aliis morbis prodiit, existere visa est.

Febris cum purpura aliquando conjuncta fuit, quamvis hoc rarius accidit. In una ægra, puella annos quinque nata, corpus maculis numerosis, parvis, subrubris, et aliquibus purpureis amplioribus, obductum fuit. Hæ septimanis duabus ante impetum febris adfuerunt. Illa mortua est, et per dies duas ultimas brachia, gena sinistra, et imprimis nasus, maculis lividis obducta fuerunt. Tunica mucosa ventriculi vasis plurimis referta erat, et tota superficies cutem in purpura referebat, maculis tantum magis rubicundis existentibus.

Sequentia anomalia in quibusdam ægris, qui inflammatione pulmonum antea laboraverant, prodierunt. Rubor profundus circumscriptus genarum, debilitas, emaciatio, rigores frequentes aliquid similes hecticæ; signa inflammationis præter solitum fuerunt gravia et pertinacia, expectoratio purulenta vel sanguinolenta, aliquando hæmoptysis vel epistaxis. Ægri per longum tempus se nunc meliores, nunc pejores habebant; magna proclivitas fuit ad recidivam; omnibus aliis symp-

tomatibus cessantibus, pulsus frequentiam suam auctam diu conservavit; febris interdum effecit, ut morbi confirmentur, fundamenta quorum in constitutione antea jacta fuerant; nempe, phthiseös, hydrothoracis, empyematis, &c. Contrarium nihilominus interdum evenire dicitur; et amicus meus, Doctor Cuming, cui me multum devinctum habeo propter nonnullas observationes quas hæc dissertatio complectitur, mihi dixit, se ægrum, in quo symptomata phthiseös ab impetu febris prorsus summota erant, conspexisse.

Plurimos casus febris exaravi, quibus affectus pulmonum et ventriculi peculiariter gravis adfuit; alios, in quibus hepar vitiatum, et cutis flava; et plures, quos dolores molestissimi rheumatici comitati sunt. Sed hæc dissertatio limites solitos tentaminis inauguralis longe excessit; illosque igitur extitisse tantum memorare licet.

FINIS.